Rozprawy
de panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynowa za 5 złt.

Książka dezynfekowana

Po przeglądnięciu
umyć ręce

r) S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

s) Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

t) Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

u) Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

v) Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

y) S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

z) Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

aa) Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

bb) Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

cc) Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

dd) Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

ee) Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

ff) Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

gg) Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

hh) Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

ii) Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

kk) Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

ll) Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmañ Johañ 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmañ Johañ 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes orbis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1651. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmañ Johañ 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epis. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, prz. J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. 3 br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracovia 1635. 4to. (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac p[ten-]
1 tiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos con[f]ecta
Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m.
1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae.
Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn.
Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell.
Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid
sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cus[t]ini
1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et
securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7 g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m.
1658. (str. 27)

Frischman Johan 8 h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 16[5]8.
(str. 19)

9 i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Ep[is]t.
ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10 k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Po-
snan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord.
Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658.
(str. 4)

11 l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect.
Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12 m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae
et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes
et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischman Johan 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b.
m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, pri-
mum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium
elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15 p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussio-
nis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem
Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

niss. ac poen-
gatos conicta

(str. 84)
gyrice. b m.

i Hungarae.

is Poloni In.
sky Casill.
explicat, qid
cis. Custini

acto pacis et
)

licum. b. n.

. m. 16.

io in Epi.

Dioec. P-
tia, in Or.
niae 165.

is. D. Elec.

M. Polonia
, Principe.

electorii. b

bina, pri
collegium

discussio-

et Regem

ISAACI PEYRERII

EPISTOLA

AD

PHILOTIMUM,

Quâ exponit

RATIONES,

Propter quas ejuraverit

SECTAM CALVINI.

quam profitebatur:

&

LIBRUM

DE PRÆ-ADAMITIS,

quem ediderat.

Cum Gratia & Privilegio Sereniss. Elect. & Ducum Bavariæ ac Saxoniæ, S. Rom. Imp. Vicariorum.

FRANCOFURTI,

IMPENSIS WILHELMI SERLINI.

Typis ÆGIDII VOGELII.

ANNO M. DC. LVIII.

ISAACUS PEYRERIUS
PHILOTIMO.

PETIS à me, Philotime, ut tibi significem, cœterisque amicis meis, quibus idem curæ est: quare mutaverim propositum quod tenaciter institueram, de non abneganda professione Sectæ Calvinisticæ, quam Galli Reformatam vocant; quam scilicet cum ipso lacte biberam, & imbiberam, & in qua consenueram. Quare itidem, vel ejuraverim librum de Præ-Adamitis quem edideram; vel edidissem, quem deinde ejurarem. Expediam tibi utraque meo more; hoc est, quàm potero brevius & clarius.

Primùm itaque fatebor ingenuè, me fortasse an hæsurum adhuc Sectæ Calvini quam profitebar; aut verius, in cujus cimbula fluctuabam; nisi atra tempestas, glomerata & concitata de parte libri illius mei Præ-adamitici, impulisset naviculam in qua eram, ad Petram quam mihi iniquissimam putaveram. Sed quia Petra illa Ecclesia Christi erat; & Petra ipsa de qua Christus Petrum alloquens: *Tu es Petrus*, ajebat, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: in illa eadem Petra miraculo servatus sum. Allisa namque ad rupem navicula, expositus sum in gramine omnium amœnissimo & viridissimo, quo rupes desuper strata erat; & super quod siccis pedibus, illæsisque plantis, felicissimè desilui.

Non clam te est, mi Philotime, neq; latet quàm plures amicos meos, quibus de hac re multoties & totum me adprobavi: quantùm abhorruerim semper à schismate Ecclesiæ; & quàm semper ægerrimè tulerim luctuosam secessionem illam, qua priore seculo, Lutherus primùm, & Calvinus deinceps ab Ecclesia Catholica defecit. Scriberem ad te volumina non epistolam, si causas

omnes averſationis hujus meæ hoc loci exponerem. Hæreboq; in illo ſolo argumento, ſeu potiùs convicio, quo Schiſmatici omnes Eccleſiam Catholicam inſectantur, cùm illam Meretricem & Adulteram, perperam & falsò, appellant: cauſamque ſibi inde adſtruunt, quare ab eadem Eccleſia ſeceſſerint.

Non reputant qui talia debacchantur, Eccleſiam illam ipſam quam infamant & pipulo differunt, Sponſam DEI, atque adeo Matrem ſuam eſſe. Verum quidem eſt, Eccleſiam Iudaicam talibus quondam elogijs à DEO ipſo, per Prophetas ſuos fuiſſe traductam. *Quæ ædificaviſſet ſibi lupanar, & feciſſet ſibi proſtibulum in cunctis plateis, & diviſiſſet pedes ſuos omni tranſeunti, & multiplicaviſſet fornicationes ſuas*. Ezechielis 16. Tùm Iſaiæ 1. In qua, propter luem contractam ex fornicationibus ſuis, *non eſſet ſanitas; ſed à planta pedis uſq; ad verticem, vulnus, & livor, & plaga tumens*. Sed æque verum eſt, Philotime, Eccleſiam Chriſtianam præſtare multum Iudaica, & toto vertice CHRISTO ſuo, ſupra eſſe. Tùm quia cæremoniæ Iudaicæ, umbræ fuerunt & figuræ tantum veritatum Chriſtianarum: tùm quod Eccleſia Chriſtiana longè anteierit promiſſis & benedictionibus divinis, Iudaicam. Edicente CHRISTO ipſo: *Nunquam ſe defuturum Eccleſiæ ſuæ, & adverſus illam portas inferi nunquam prævalituras*. Hoc eſt: nunquam deſerendam, & nunquam interituram Eccleſiam Chriſtianam. Quod non ita ſe habuit cum Eccleſia Iudaica: utpotè quæ interierit, & cum Synagoga ſua ſepulta ſit.

Demus certè, Eccleſiam Chriſti (quod tamen abſit) in nonnullis, etiam nobilioribus ſuis membris; quoad mores, non quoad dogmata, fœdari & contaminari poſſe. Ergone licebit Chriſtiano ejurare ipſam matrem ſuam, quia putabit illam fœdatam & contaminatam? Nec veniet in mentem homini illi Chriſtiano, quod legitur de Noë inebriato, & nudato in tabernaculo ſuo? cap. 9. Geneſeos, cujus verenda nudata cùm vidiſſet Cham filius ejus reprobus, & maledictus; riſit, traduxitque patrem ſuum, & nuntiavit duobus fratribus ſuis foras. *At verò Sem & Iaphet*, filij Noë electi & benedicti, *pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui: facieſque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderunt*. Idem omnino faciendum eſſet Chriſtiano electo & benedicto. Deberet ille cum fratribus ſuis electis & benedictis, imponere pallium ſuum humeris ſuis, incedere retrorſum, operire verenda, avertere faciem, nec videre turpitudinem matris

ſuæ.

suæ. Quid verò fecerunt schismatici nostri? Quod nimirum Cham reprobus & maledictus. Viderunt & riserunt matrem suam, quam finxere nudatam, & nuntiaverunt fratribus suis. Id est, traduxerunt matrem suam, & infamaverunt, quam putaverunt turpitudinem ejus. Atque adeò incurrant, necesse est, in maledictionem decretam in progeniem Chami. Et justè. Edixit enim DEUS ore suo, & de medio ignis. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Neque excepit, vel patrem ebrium, vel matrem adulteram. Idemque Evangelium quod te subditum esse jubet Regi tuo, discolo quamvis & Neroni; te honorare præcipit matrem tuam, impudicam licèt & Messalinam. Sed quæ tam barbara unquam religio non damnavit crudelitatem natorum erga matres suas? Nihil frequentiùs occurrebat in Scenis antiquorum, quàm Orestes furijs agitatus propter occisam matrem, non solum adulteram, sed etiam parricidam. At Christianus qui deserit matrem suam, quam CHRISTUS Sponsus fœdere æterno & insolubili sibi junctam, nunquam deseret; qui neque Ecclesię matri suæ opem fert: imò è contra, qui illam persequitur, probrisque & maledictis onerat; idem facit occidenti.

Age verò, Philotime; si nulla ratione divina vel humana, quo saltem exemplo Judaico vel Christiano, potuere Schismatici nostri deserere Ecclesiam matrem suam; nè dicam (ut fecerunt) atrociter sævire in illam? Percurratur sanè historia tota Iudaica, à lege lata in monte Sinai, usque ad transmigrationem Babilonicam: & reperientur in illa duo Schismata duntaxat, damnata utraque, & DEO vindice sæviter repressa. Primum fuit, Core, Dathan, & Abiron; quod terra dehiscens continuò deglutijt cum auctoribus suis. Secundum fuit, decem tribuum Israël, quæ desciverunt à Roboam. At Schismate ab illo, quanta & qualia mala evenerint decem illis tribubus, sciunt omnes, qui vel tantisper norunt Historiam Sacram. chismata quinetiam duo illa ortum habuerant, ex regnandi potiùs libidine, quàm immutandi quicquam in lege Mosaica. Cæterùm, quamvis Sorores duæ illæ invicem divisæ, Ecclesia Iudaica, & Ecclesia Israelitica, sese utrinque fœdavissent idololatrijs horrendis, quas DEUS fornicationes & adulteria vocat: nescitur tamen ullum; vel Israelitam verum, abiisse unquam ab Ecclesia sua Israelitide; vel Iudæum verum, secessisse unquam à sua Iudaica.

De Ecclesia Israelitide adultera, luculentum hoc legitur in historia Eliæ,

quando interpellabat DEUM adversus Israelitas idololatras. *Domine*, ajebat,
Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quæ-
runt animam meam. Cui DEUS respondit: *Reliqui mihi septem millia virorum,*
qui non curvaverunt genua ante Baal. Fallebatur Elias, qui se putabat solum
DEI veri cultorem in toto Israële; quia non noverat septem illa Israëlitarum
millia, quæ DEUS sibi servaverat incontaminata ab idololatria Baal. Quare
autem non noverat Elias septem illa virorum DEO electorum millia in Israë-
le? Nimirum, quia Israëlitæ illi non abierant à matre sua Israëlitide, idololatra
quamvis & adultera: quia nullam secessionem ab Ecclesia & matre sua fece-
rant: quia nullum alium conventum separatum ab illa sibi constituerant. Imò,
quia in depravatissimis Ecclesiæ illius suæ moribus, & periculosissimis depra-
vationis universæ temporibus; unusquisque illorum septem millium, sibi soli
erat in secreto & in abscondito, Israëlita verus, & verus DEI cultor: adeò ut
nullus eorum, in suæ sibi religionis conscientia, amico & fratri suo fideret.
Nullumque adeò illorum Elias noverat, Propheta quamvis, & zelotes DEI a-
cerrimus. Atqui novisset illos omnes indubiè, si omnes illi ejuravissent Ec-
clesiam & matrem suam adulteram, & si congregationes ab illa divisas sibi
habuissent.

Vocavit Jeremias Ecclesiam Israëliticam, *aversatricem*: Sororem verò
suam Juda, *prævaricatricem*. Plus verò peccat prævaricatrix, quàm aversatrix.
Ideòque justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatri-
cis Iuda. Jer. 3. Præsumendum tamen est, DEUM sibi semper servavisse apud Juda
prævaricatricẽ, sicut apud aversatricẽ Israël; sua septem electorum millia, vitæ &
conscientiæ integra fornicationumq; matris suæ pura. Idololatrias nimirũ ejus
maximè abhorrentia. Existimandum utique est, septem illa Judæorum electorũ
millia, neq; Ecclesiam matrem suã unquam ejuravisse, neq; unquam ab illa re-
cessisse, neq; unquam Templum in monte Sancto positum deseruisse: quicquid
peccaret prævaricatrix Juda, quicquid oleret stabulum & sessibulum, & quic-
quid abominandum in Templum ipsum DEI inferret.

Ignoratur usque in hodiernam diem, quid actum sit de Tribubus decem
Israelitis, quas Salmanazar transtulit in Assyrios: quonam scilicet illæ abierint,
& ubinam gentium illæ nunc sint. Reversus verò populus Iudaicus à transmi-
gratione Babylonica, restituit Templum in monte Domini, & celebravit in
illo

illo (ut solebat) suam Synagogam, usque ad adventum & nativitatem Domini nostri JESU CHRISTI. At, quo tempore natus est Dominus noster, quantis amabo criminibus, & quantis abominationibus, infecta erat Synagoga Iudaica? Omnia in illa pessum ierant. Et Domino profitente, Templum ipsum Domini mutatum erat in speluncam latronum. Servaverat tamen sibi DEUS in illa eadem Ecclesia corruptissima etiam tunc, aliquot electorum millia, incontaminata ab omnibus illis latrocinijs & abominationibus. Et postmodum ex illis, CHRISTO nato, caput suum exeruerunt, Sanctissima VIRGO in primis, Sanctus JOSEPH Sponsus Sanctissimæ VIRGINIS, ZACHARIAS, ELISABETHA, SIMEON, ANNA, & cæteri qui adventum CHRISTI Salvatoris expectabant, quibusque deinceps DEUS mundo illucescens se notum dedit. Nullusque ex illis secessionem unquam fecit ab Ecclesia & Synagoga impurissima: nullusque itidem deseruit Templum Domini, pollutum quamvis latrocinijs & flagitijs. Sed omnes electi illi vixerunt in medio Templi, justè & sanctè, secundùm verum sensum legis Mosaicæ, non secundùm fabulas & corruptas traditiones Synagogæ. Utcunque enim Scribæ & Pharisæi multis assumentis DEI præcepta, per Mosem & Prophetas tradita, malè interpretarentur; & pietatem in hypocrisin & superstitionem convertissent: nunquam tamen passus est DEUS errorem aliquem, aut dogma receptæ à majoribus doctrinæ, aut fidei contrarium, à Summo Pontifice toti Synagogæ ex cathedra Mosis proponi. Undè ipse CHRISTUS monuit, opera quidem eorum haudquaquam imitanda; doctrinam tamen quam ex Mosis cathedra prædicabant, servandam præcepit. Ita scilicet malos Doctorum mores vitamque corruptam ab ipsa doctrina cautè distingvendam ostendit, & opera mali exempli ita fugienda, ut tamen à cathedra non discedas.

Voluit DEUS, quo pollet consilio, laxare quandoque habenas prurienti & lascivienti Synagogæ, illamque sibi ipsi permittere: sed non illam penitùs deserere. Audi quæso, Philotime, Jeremiam de hac re loquentem ab initio capitis 3. *Vulgo dicitur*, inquit, *si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es*, non cum uno, aut altero tantùm, sed *cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.* DEUS ergo susceperit tam clementer & benignè Synagogam, adulteram licet & transfugam, neque illam repudiaverit: Christianus autem rejiciet

Ecclesiam

Ecclesiam matrem suam, quæ CHRISTI Sponsa est; quæ Virgo casta, sine ruga & macula insignitur; quæ perhibetur fundamentum fidei, & columna veritatis; cum qua Spiritus Sanctus manet in æternum, eamque docet omnem veritatem; quamque propterea audiendam præcepit Dominus, nisi quis Ethnicus & Publicanus haberi velit: Christianus inquam, qui filius est Sponsæ talis CHRISTI, talem matrem suam irreverenter usque adeò habebit, ut fornicariam illam dicat; illamq; nomine illo procul à se ableget, & valere jubeat? DEUS ergo qui Sponsus erat, cuique adeò subjecta erat Synagoga Sponsa ejus, invitaverit suavissimè Sponsam suam, ut ad se rediret: Christianus autem qui filius est, quique adeò subjectus est Ecclesiæ matri suæ, abnegabit & repellet contumeliosissimè Ecclesiam matrem suam? DEUS ergo, cui licuit esse zelotypo, quia Sponsus erat, pepercerit indulgentissimæ Sponsæ suæ: Christianus autem qui filius est, cuique erga Ecclesiam matrem suam, quam CHRISTUS acquisivit & mundavit sangvine suo, honoris & obsequij officium solum relictum est; inclementissimè aget cum Ecclesia matre sua?

His certè rationibus inducti Patres antiqui omnes ex quo Ecclesia dicta & facta est Christiana; tanto honore prosecuti sunt semper Ecclesiam matrem suam, ut post DEUM nihil supra. Percurraturque historia tota Ecclesiastica à CHRISTO mortuo; & nullus invenietur in illa, vel Præsul, vel Doctor orthodoxus Ecclesiæ, qui desciverit unquam ab Ecclesia. Nullusque è contra notabitur hæreticus, qui non continuò Ecclesiam violaverit schismate, quam antea conatus fuerat violare dogmate. Invecti sunt quandoque Doctores orthodoxi contra nobiliora Cleri capita, propter eorundem mores corruptos: propter eorum puta vel inertiam, vel avaritiam, vel ambitionem. Clerumque ipsum corruptionis insimulaverunt, non in dogmate, quod iterum moneo, sed in moribus: ipsumque propterea multoties increpitaverunt, atque illi attribuerunt, quicquid scripsit Apocalypsis de *Muliere fornicaria, quæ sedebat super septem montes, circumdata purpura & coccino, & lapide pretioso, & margaritis: habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ.* At quamvis Patres illi Sancti quosdam Præsules, in moribus suis reprehensibiles, vehementer insectati sint: reverenter tamen habuere illi, & semper, Cathedram D. Petri, in qua jugi traditione residebat primatus Apostolicæ dignitatis, concessus D. Petro; & in illo, Romanæ Ecclesiæ moderatoribus: neq; propterea ab ipsa Romana Ecclesia unquam defecerunt.

At

At inquiunt. Cur non licebit Christiano emendare mores pravos qui corrumpunt Ecclesiam; si licet Medico curare morbos qui ægrotum vexant, imò tollere nævos qui faciem dehonestant? Esto! liceat. Quod tamen negamus. Sed non cuilibet liceat esse Medico. Tùm Medicus qui ægrotum curat, ægroto assidet, neque ægrotum fugit. Tu autem Christiane, qui Ecclesiam emendare voluisti, Ecclesiam deseruisti. Et qui Ecclesiæ nævos delere institueras, stigmata multò pejora maledictis tuis fronti ejus inussisti. Adde, quod experti & prudentis Medici est, cavere in primis nè quando ægrotum sanat, ægrotum enecet: nevè etiam, quando putredinem è sangvine elicit, animam cum sangvine extrahat: nevè tandem, quando corruptos humores evacuat, vitales cum corruptis exhauriat. Sed neq; morbis omnibus remedia adhibenda sunt. Sunt enim morbi quidam maligni, qui remedijs irritantur: imò quibus remedium ipsum morte pejus est. Qui lupias sollicitant, hoc sæpe proficiunt, ut lupias ipsas in carcinomata convertant: satiusque multò foret lupia deformari, quàm carcinomate corrodi. Neque rursus omni tempore remedijs uti licet: sed expectandum est opportunum illud, quo vel aëris intemperies curationem non recuset, vel ægroti dispositio remedij vim ferre valeat.

Ut expendatur diligentiùs opportunum tempus illud quod requiritur in emendatione Ecclesiastica, illaque perfecta: notari digna sunt, Philotime, quæ leguntur in historia Regum Juda. Scriptum est de Rege Aza, cap. 15. Reg. 3. *Fecit Aza rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus. Abstulit effœminatos de terra, purgavitq; universas sordes idolorum, &c. Excelsa autem non abstulit. Veruntamen cor Azæ perfectum erat coram Domino, cunctis diebus suis.* De Josaphat filio Aza, scriptum est cap. 22. libri ejusd. *Ambulavit in omni via Azæ patris sui, & non declinavit ex ea; fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, &c. Verumtamen Excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat & adolebat incensum in Excelsis.* Eademque omninò leguntur de Regibus Juda, Deo dilectis & electis, Joa, Amazia, Azaria, & Joathan, capitibus 12. 14. & 15. Reg. 4. Sed scriptum est de Ezechia electissimo, cap. 18. *Fecit quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit Excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum quem fecerat Moses: siquidem usque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum. Vocavitq; nomen ejus Nehustan:* id est, æneum.

Atque ut eliciantur ex historia hac quam præmisi, consectanea ad rem

illam quam paro maximè conducentia. Sciendum est: Excelsa illa quæ non abstulerant Reges illi Juda, qui boni omnes his locis perhibentur, quæque dissipavit Ezechias: fuisse delubra posita à Salomone primùm, in montibus & Excelsis; nuncupataque idolis uxorum & concubinarum alienigenarum, quibus cor Salomonis depravatum fuerat. Fuisse itidem Fana alia quam plurima, consecrata deinceps Dijs cæteris exterarum gentium, à successoribus Salomonis, & Regibus Juda idololatris. Adeòque flagitium maximum fuisse, immolavisse in templis illis victimas, & adolevisse incensa: sive illa obtulissent Judæi, Dijs & abominationibus gentium; quod summum fuisset Judæorum nefas: sive (quod probabile fuit sub Regibus illis bonis & pijs) Deo vero & summo sacrificavissent Judæi in Excelsis illis. Piaculare namque hoc etiam Judæis erat. Quia Judæi, edicente Deo, immolare tantum & adolere debebant sacrificia & incensa omnia, in Templo ad hoc extructo in monte Sion. Deinde, quia Deus oderat lucos & arbores, quibus Excelsa omnia consita erant. Interdixerat enim Deuteronomij capite 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui: Quod odit Dominus Deus tuus.*

Peccabant ergo Judæi quando sacrificabant & adolebant incensa in Excelsis: quamvis sacrificarent & adolerent in illis, Deo vero & summo. Verumtamen Reges illi Juda, qui Scriptura sacra teste: *fecerant quod erat rectum in conspectu Domini, & quorum cor perfectum fuerat cum Domino*; non abstulerant Excelsa illa. Quare verò non abstulerant illa? Nimirum, quia fortè ferendum minus malum putaverant Reges illi prudentissimi, ut malum majus averteretur. Neque tentandos nimium Judæorum animos existimaverant, si commodam rationem, inveteratamque consvetudinem sacrificandi & adolendi in pluribus locis, toti populo interdicerent: populumque omnem cogerent ad antiquam & strictam legem ascendendi in Jerusalem; ut sacrificarent & adolerent in Templo Domini: quod propter hoc præcipuè extructum fuerat in urbe Principe. Quodque non ita commodum Judæis omnibus erat. Concesserunt-que idcircò Reges illi boni & pij Judæis, ut in Excelsis sacrificarent & adolerent: dummodò in ijsdem Deo vero & summo sacrificarent & adolerent. Et quamvis illud ipsum foret contra legis vetitum; satius tamen duxerant Reges illi optimi Deum in Excelsis, quam nusquam adorari. Credendum verò utique est, Reges illos optimos expectavisse opportunum magis & commodum aliud tempus, quo emendationem perfectam Synagogæ absolverent: reducerentque

verum

verum Dei cultum, ad locum illum quem Deus sibi solum ex omnibus alijs elegerat, ut invocaretur & celebraretur in illo. Atqui *non hominum est nosse tempora & momenta, quæ Deus posuit in sua potestate*: ut legitur Actor. 1. Tempus ergo illud dilatum & reservatum fuerat ad regnum Ezechiæ, Regis electissimi: *Qui*, ut scriptum est, *dissipavit Excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitq́; serpentem æneum quem fecerat Moses.*

Duo nos docet historia hæc. Primum omninò debere verum Numinis cultorem durare in Ecclesia Dei, neque dum perfectè in moribus emendata. Secundum est Nihil temerè sollicitandum in emendatione aliquot membrorum Ecclesiæ: Emendationemque illam summa cum prudentia, & religiosissima cautione procurandam. Expectandum potiùs summa cum patientia tempus, quod Deus posuit in sua potestate; quodque propterea non positum est in potestate hominum; ut absoluta illorum emendatio ad ungvem perducatur. Quasi verò, nescio quis Homuncio, hanc provinciam reformandi Ecclesiam sibi arrogare possit, quæ revera supremo duntaxat Capiti, Christi Vicario incumbit: quasi verò Ecclesiam non deformet potiùs, quàm reformet, quisquis errorum venenum illius membris porrigit.

Nevè putes, Philotime, quæ scripta sunt de Ecclesia Judaica, non posse aliquo modo extendi ad Ecclesiam Christianam. Attende quæso ad Parabolam quæ legitur cap. 3. Evangelij secundùm Matthæum: de inimico qui superseminaverat zizania in agro Domini, quæ Ecclesia Domini est. Servi autem Domini dixerunt ei: *Vis eamus, & colligamus zizania? Et ait Dominus: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem. Et in tempore messis dicam messoribus. Colligite primùm zizania, & alligate illa in fasciculos ad combustionem: triticum autem congregate in horreum meum.* Attende inquam, Philotime, ad verba illa: *Sinite zizania crescere cum frumento, usque ad messem.* Atqui Schismatici nostri temerè prætenderunt colligere zizania, & secernere illa à tritico ante messem. Ergo & ante tempus quod Deus posuit in sua potestate ad combustionem zizaniorum. Quodque tempus non est in potestate servorum (servorumque nequam multò minus) sed unius Domini.

Atque ut intelligas, Philotime, quo tempore Schismatici nostri prætensam

sam Ecclesiæ emendationem adorti sint. Negant Medici quicquam movendum esse in ægro corpore, cùm febris æstuat. At illi Camarinam reformationis suæ moverunt; quo tempore per totum ferè Christianum Orbem sæviret amor ferri, & scelerata belli insania. Ubi verò intempestivus Religionis zelus superſævijt; tùm demùm ab insania ad furorem ventum est.

Magno veluti cum flamma fragore
Virgea suggeritur costis undantis aheni:
Exultantque æstu latices: furit intus aquæ vis:
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis.
Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras.

Tutè scis, Philotime, quanta tempestas diluvio ex illo sese undique effuderit. Et tutè scis quantum puri sanguinis eliquaverit ex illo Ecclesia, per eadem vulnera quæ illi fecerunt Reformatores ejus, ut quam falsò putabant putridam illi inesse saniem, è venis ejus elicerent. Neque te fugit quantum succi radicalis exhalaverit ex illo Ecclesia, cum humoribus quos expressit, in pharmacis quæ Medicorum violentissimi illi miscuerunt, ut quod imaginabantur in illa corruptum evacuarent. Enecaverunt scilicet, tùm in se, tùm in alijs multis membris, quam sanare instituerunt. Toxica fuerunt quæcunque remedia infelicissimi Empirici illi, Ecclesiæ adhibuerunt. Et verrucas extirpare tentantes, cancros ingeneraverunt, quibus Ecclesiæ portio exesa est: Ita ut ex illo, nullus adeò sit neque aspectus, neque decor, huic miseræ ac resciſſæ rerum Christianarum parti; formosissimæ quondam, nunc verò exhaustissimæ & corruptissimæ. Intempestivi agricolæ qui Domini fundum, contra Domini vetitum, sarrire voluerunt; multùm frumenti & nihil lolij effoderunt. Instauratores verò audacissimi, qui sarta tecta Ecclesię pręstare susceperunt: cùm purum ab impuro, pretiosum à vili & sordido; aurumque & argentum, à stipula & fœno, diligentiùs dicamne vel intemperantius, secernere satagerunt; ædificium ipsum concusserunt, Ecclesiamque Christianam per totum ferè Christianum Orbem imminuerunt. *Et nisi Dominus Exercituum reliquisset sibi semen in Ecclesia Catholica, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*, Isaiæ 1.

Peccavit ergo Calvinus (nihil mihi jam cum Luthero est.) Primò: quando secessionem fecit ab Ecclesia Catholica. Nam si Romani milites dividentes

inter se vestimenta Christi, tunicæ ejus pepercerant, sortemque super illam miserant: debuerat Calvinus parcere corpori ipsius Christi, neque illud dividere in divisione Ecclesiæ. Peccavit secundò, quando inauspicato, emendationem Ecclesiæ suscepit: contra vetitum Domini, & contra præceptum Apostoli. Peccavit tertiò, quando in prætensa emendatione Ecclesiæ, mutilavit & deformavit quodcunque reformare voluit. Inconsiderantius enim, & atrocius securim rotans, quod erat optimum visuque pulcherrimum, inhonestis vndiq; vulneribus detruncavit. Peccavit denique cùm innumeros errores mundo peperit, non sine incredibili animarum & gregis Dominici strage; nempe ille non modò emendationem morum, sed hujus obtentu, reformationem præsumptam dogmatum dolosè susceperat. Quo eventu jam diu patet. Nam non modò nihil quod ad mores pertineret, emendatius attulit; sed suorum quoque Sectatorum mores corrupit; quos malorum mille administros contra Catholicos adhibuit. Nec etiam dogmata, ut præsumpsit, reformavit, quæ in Ecclesia erroris nescia reformari non possunt: sed ut dixi, multis erroribus se & suos implicuit. Hoc verò ut breviter demonstrem, Philotime, non omnia perambulabo, quæ ille malè reformando malè mulcavit; sed quædam tantùm & summotenus attingam.

Paulus Apostolus de Judæis loquens, hæc ait cap. 9. ad Romanos. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Quod verò legitur in vulgata, *Obsequium*: in archetypo λατρεία, & cultus divinus est. Cultus ergo divinus Judæorum erat. Non omnia scilicet quæ habuerunt Judæi, abjecerunt Christiani. Et inter nonnulla quæ habent à Judæis, retinent etiam nunc λατρείαν, & cultum divinum. Non cultum quidem illum quem adhibebant Judæi in cœremonijs illis, quæ figuræ tantùm erant veritatum illarum Christianarum quas reapse possidemus. Sed retinent Christiani eundem illum latriæ cultum, qui adhibebatur in cœremonijs illis, quæ figuræ erant veritatum illarum cœlestium; quarum multas habemus sub Evangelio, alias speramus veriùs quàm possidemus.

Nemo est qui nesciat, Philotime, sacratissima redemptionis nostræ mysteria, significata olim fuisse in lege Mosaica, per symbola omnium expressissima, aquam, ignem, oleum, sal. Per aquam, qua repræsentabatur peccatorum nostrorum ablutio. Per ignem, quo exprimebatur sanctificatio nostra, quæ lucere debet

re debet sicut ignis. Per oleum, quo significabatur unctio electionis nostræ, & penetrativa Spiritus Sancti in animas nostras immissio. Per sal, quod incorruptionem & immortalitatem nostram sapiebat. Quæ scilicet symbola à Judæis usurpata, retenta, neque rejecta fuerunt à Christianis, quà totus Orbis Christianus fuit, ab Apostolis ipsis positus; quàque hodie Latinus & Græcus est. Symbolorum quippe illorum ea vis & virtus erat; ut illis etiam nunc graphicè repræsentetur sub Evangelio, perfecta peccatorum nostrorum ablutio, perfecta sanctificatio nostra, plena Spiritus Sancti in animas nostras immissio, perfecta incorruptio & immortalitas nostra. Quæ tamen symbola, ut & cultum omnem divinum à Judæis derivatum, & ab Apostolis ipsis institutum; Calviniana reformatio sic amputavit, ut sanctissima & sacratissima illa omnia, ense inimico, & audacissimo facto, penitùs hauserit.

Tres electissimorum hominum ordines, à Judæis & mandato DEI, oleo quondam ungi solitos, notum est. Reges, Prophetas, & Sacerdotes. Quod Ecclesia omnis Catholica etiam nunc consuevit, in Regibus & Sacerdotibus oleo vel chrismate consecrandis. Calvinus autem non solùm Sacerdotum unctioné, quæ fit oleo sacro, abstulit: Sed, quæ fuit audacia hominum confidentissimi, Sacerdotes ipsos à sua reformatione procul abegit: ordinemque ipsum Sacerdotalem prorsus eliminavit. Instituerant Apostoli Presbyteros & Episcopos, à quibus res omnis sacra, & quicquid in Ecclesia juris Sacerdotalis esset, perageretur: præfecerantque Diaconos & Ministros, qui minoribus Ecclesiæ muneribus sufficerentur. Invertit institutionem Apostolorum Calvinus. Ministros scilicet instituit illos, qui debuerant esse Presbyteri: mutavitque Diaconos & Ministros, in Presbyteros.

Illud tamen præceperat S. Paulus Philippensibus cap. 3. *Ut idem saperent, & in eadem permanerent regula.* Quam regulam vocavit *formam*; loco eodem, ubi ait: *Imitatores mei estote, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Formamque illam tradiderat Apostolus, *sermone & epistola*: sicut scriptum est Thessal. 2. c. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Calvinus autem parvipendit, & regulam, & formam, & traditiones, quas didicerat Ecclesia, sive per sermonem, sive per epistolam S. Pauli, & reliquorum Apostolorum. Meliùs, pejùs, prodesset, obesset, nihil vidit ille in Reformatione sua, nisi quod lubuit. Non enim hoc sibi proposuerat, ut

rat, ut Reformati sui occurrerent in unitatem fidei, regulæ, & formæ Apostolicæ cum Catholicis. Imò è contra: ut diversi penitùs abirent à Catholicis, in fide, in regula, & forma Apostolica: Quod S. Pauli præcepto planè adversari fuit. Edixerat enim S. Paulus Ephes. 4. *Solliciti estote servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus: sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus DEUS, & Pater omnium.* At Calvinus sollicitus fuit solvere unitatem spiritus gladio Schismatis. Divisit ille corpus Ecclesiæ: divisit ille spem vocationis nostræ: divisit ille Dominum nostrum. Non eadem est per illum, apud Christianos omnes regula fidei Christianæ: non eadem est per illum, apud Christianos omnes forma Christiani baptismatis: neque per illum unus DEUS est Christianorum omnium.

Audi verò, Philotime, integram hominis audaciam! Non contentus Calvinus rupisse unionem Ecclesiæ; ipsum quoque sanctissimum unionis Sacramentum violavit, aut potiùs sustulit. Non admisit ille transubstantiationem Catholicorum Latinorum, quæ eadem ipsa est μεταστοιχείωσις, sive transelementatio Græcorum benè intellecta. Quam scilicet transelementationé fieri asseverabant Christianorum antiquissimi, in consecratione panis: momento scilicet illo quo concepta Consecrationis verba super pane dicerentur. Quæstionem illam exagitavit Calvinus, nodumque ejus sacrilegio resolvit (absit verbo contumelia.) Consecrationem nimirùm ipsam de Reformatione sua omninò sustulit: contra institutum, contra usum, & contra unanimem consensum totius Ecclesiæ Christianæ; quæ Consecrationis canonem possidet, à principio adeò vetusto, ut nullum principio illi determinetur signatè principium. Imò contra institutum ipsum Domini, qui Consecrationem illam fecit, quando Sacramentum Corporis & Sanguinis sui instituit. Scriptum enim est disertissimè, Dominum *accepisse panem*: deindè, *benedixisse pani*: quod est Εὐχαριστεῖν: unde *Eucharistia* ipsa dicta est. *Fregisse deinceps & distribuisse.* Calvinus autem accepit panem. Et missam faciens benedictionem & consecrationem, continuò fregit panem, & distribuit. Atqui benedictio & consecratio Eucharistiam faciunt. Ergo, quando Calvinus Eucharistiam suam sine benedictione & cõsecratione instituit: Eucharistiam ipsam (quod monstrũ est) sine Eucharistia celebravit.

Accipe igitur, Philotime, audacias & confidentias Calvinianæ reformationis omninò extraordinarias. Et ex illis paucissimis quæ hîc breviter perstrinxi,

disce

disce omnes ejusdem in reliquis aliis, præcipitantias, intemperantias, & ἀλογίας. Hæc autem præ cœteris indicavi, in quibus tota ejus, si quæ tamen est, religio quasi in duplicato cardine vertitur. Imò inquies. Quare ergo consenuisti in Calvini Schismate & reformatione; tu qui Schisma & reformationem Calvini tantopere exosam habèbas? Propter hoc ipsum, Philotime. Schismata namque tantopere semper aversatus sum, ut Schisma facere in Calvini etjam schismate refugerim. Etnisi DEUS rerum humanarum arbiter, me inde manu apprehensum eduxisset; torperem adhuc in veterno. Non quia feritatem Schismatis induissem, deposuissemque animum redeundi ad sinum Ecclesiæ Catholicæ. Sed quia falsò existimabam licitum mihi fore perseverare in Ecclesia Schismatica, & malè reformata, in qua natus eram: procurando, vel saltem expectando tempus in potestate DEI positum, quo reditus universalis fieret Schismaticorum omnium ad Ecclesiam Catholicam. Et tute scis, Philotime, quàm maximè illud in votis semper habuerim.

Totum ergo DEI est, & totam illi habeo gratiam; quòd ante tempus illud, exoptatum à me expectatumque ardentiùs, conversus sum ad Ecclesiam Catholicam: quam scilicet experior nunc Matrem meam dulcissimam, quamque veneror & toto pectore amplector. Non enim consilio malevolo, sed DEI voluntate factus sum Catholicus. Et quicquid durum in me consultum putaveram, illud DEUS vertit in melius, & pro mea salute factum voluit. Benedictum sit Nomen ejus in sæcula.

HABES, Philotime, causas quæ me fecerunt Catholicum. Exponendæ illæ restant, propter quas ejuraverim librum quem edideram de Præ-Adamitis. Quas ut summatim & verbo comprehendam. Liber ille meus, causa fuit conversionis meæ. Et vicissim conversio mea causa fuit abjurationis quam feci libri illius mei. Sed & illud clariùs explicandum est.

Novisti, Philotime, quomodo in Præ-Adamitis meis inquirendis, viam institerim extra vias omnes omnium retro-Theologorum, quotquot fuerunt ab Apostolis. Hoc nimirū malè habuit Theologos eosdē omnes, in quascunque Sectas hodiè divisi sunt. Quique omnes, in aliis dissentientes, in hoc verò consentientes, & agmine facto, irruperunt in librum meum: illumque oppugnaverunt auctoritatibus omnibus SS. Patrum, Sacrosanctorumq; Conciliorum;

rum;

rum; nec non universali consensu totius Ecclesiæ Christianæ. Poteram fortasse utcumque repugnare, Philotime, si mecum egissent humanis argumentis, non auctoritatibus. Sed cedendum omninò mihi fuit auctoritati tantarum auctoritatum. Nec deliberavi, utrum auctoritati cederem. Sed in illo hæsitavi & suspensus fui. Cui auctoritati cederem, & cui me dederem.

Hoc verò in primis me malè urebat. Quòd Lutherani & Calvinistæ omnes, easdem machinas in me movissent, quas retundere conantur in Catholicis; qui illos auctoritatibus ijsdem SS. Patrum & Conciliorum orthodoxorum nequicquam obruunt. De Lutheranis quidem; & de suo (quem mihi occinebant) Luthero, parum movebar, Philotime; quia non eram de grege illo. Quid enim mihi erat cum Doctoribus vino recoctis? De Calvinistis autem, quia Calvinista eram, hæc mihi ipse dicebam. Quid mihi illi recitant suum Calvinum, & suos Calvini asseclas; ut subijciar illorum auctoritati, qui subijci nolunt neque Patribus, neque Concilijs, neque adeò Ecclesiæ ipsi Catholicæ? Atque ut nulli auctoritati subijciuntur, nulla vicissim & illis auctoritas concessa est. Corpus enim Sectæ illius sine capite est. Aut potiùs, corpus anomalum est, cui plura sunt capita quàm membra. Quorum verò Calvinistarum auctoritati me submittam? Anne Calvinistarum Batavorum? Sed illi, mille trahunt varias adversis sententiis opiniones. An Puritanorum Anglicanorum? Apage verò monstrum dissensionis & confusionis horrendum, quod hodiè regnat in Babele illa. Anne ad Germanos, anne ad Helvetios me convertam? Sed nihil mihi cum Germanis, nihil cum Helvetiis est. An verò ad meos Reformatos, quos vocat, & quos habet mea Gallia, me conferam? Sed neque illis benè convenit. Paucæ admodum Reformatis illis sunt Academiæ in Gallia: atque illæ paucæ, in pluribus differunt: illorumque Ecclesiæ super illis, in contraria studia, & diversas partes diducuntur.

Quæ verò est illorum auctoritas, ut me illis subijciam, & ad quorum tribunal cum securitate confugiam? Hoc est, ut possim tale de illis sperare judicium, quod summæ auctoritatis sit; à quo nulla detur provocatio, & contra quod nulla fiat Jurisdictionis vindicatio: quodque ubi visum erit, rigorem juris lenire, & secundùm bonum & æquum decernere valeat. Mea namque causa talis est, ut talem summam auctoritatem Judicibus suis optare debeat. Summæ autem dementiæ esset, summam illam requirere auctoritatem judicandi de Re-

ligione, in Doctoribus Reformatis, illisque præcipuè Francicis; qui ſubditi ſunt REGI CHRISTIANISSIMO, & filio Eccleſiæ Catholicæ primogenito: cujusque adeò conſcientiæ commiſſum eſt, cavere inprimis nequid detrimenti Religio Catholica accipiat.

Finge enim (ajebam mihi ipſi) te ſtare coram Doctoribus Reformatis, ut vocant, Francicis: teq; illorum fidem & conſcientiam appellare, ut judicent de te, & de libro tuo; non ſecundùm præjudicia, vel ſua, vel aliena; ſed ſecundùm rationem quam ſequi profitentur, & ſuper quam notum eſt totam Calvini Sectam fundatam eſſe. Fac etiam illos (ut fert eorum genius) tangi intrinſecus, & induci poſſe tuis rationibus, ut tibi & libro tuo faveant. Putasne illos unquam auſuros expromere ſenſum ſuum intrinſecum de te, & de libro tuo? liberumque & integrum illis fore, ſententiam de te ferre, ſumma illa cum auctoritate, quæ abſoluta eſſe debet in condemnando & abſolvendo? Fruſtra es ſi id putas. Auctoritatem certè ſibi arrogabunt te condemnandi. Sed nullam prorſus habebunt te abſolvendi. Neque ſi maximè cupiant, te abſolvere audeant. Quia neq; liberum, neque integrum illis erit, abſolvere de errore qui fidei Catholicæ adverſatur, quippe repugnat Calvino ipſi. Cujus nimirum Secta toleratur in Gallia, neque heterogenea alia apud illam admittitur.

Inſaniam ergo ſi me ultrò ſubmittam auctoritati illorum, quibus pro certo ſciam nullam eſſe auctoritatem, niſi prætenſam in condemnando; nullam verò in abſolvendo. Neque prætereundum eſt, Philotime, quod mihi renuntiatum erat; quàm mala mens eſſet, & quàm malus Reformatorum meorum erga me animus: de quo non dubitabam. Atqui, ajebam, neceſſe omninò eſt ut auctoritati ſubijciat. Non enim datur apud Chriſtianos individuum vagum, & auctoritate liberum. Nullaque alia auctoritas eſt, ad quam tutò confugiam, quæque plena & abſoluta ſit; præter auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ, quæ reſidet in ſummo & Romano Pontifice, tanquam in ſuo capite. Qualis eſt Papa noſter ALEXANDER VII. nomine & re Sanctiſſimus.

Ille etenim, Philotime, verus eſt Servus DEI Eliacim, de quo Iſaias cap. 22. *Qui præpoſitus eſt in Templo DEI: qui indutus eſt tunica, & confortatus eſt cingulo Sobnæ, Pontificis Summi Iudaici. Cuique DEVS dedit clavem domus David ſuper humerum ejus. Qui aperit, & non eſt qui claudat: & claudit, & non eſt qui aperiat.*

periat. Locus eximius & singularis Veteris ipsius Testamenti, quo designatur evidentissimè translatio Pontificatus Summi Judaici, ad Christianum D. Petri. Expellit enim DEUS loco illo Sobnam, Pontificem summum Judaicum, de Statione sua, & de ministerio suo deponit eum; ut det potestatem ejus Eliacim filio Helciæ. Eliacim enim ille, cui DEUS dat clavem domus David, apud Prophetam; S. Petrus fuit, cui Dominus idem dedit claves regni cœlorum, apud Evangelistam.

Confugi ergo, Philotime, ad auctoritatem Summi & Romani Pontificis, Successoris D. Petri: utpotè ad illam solam quæ aperit, & non est qui claudat; quæ claudit, & non est qui aperiat. Qua nulla datur potior in toto Orbe Christiano, cuique nulla alia par dari potest, in illis quæ ad fidem Christianam & mores spectant: quæque me potuit condemnare & absolvere, utrumque verò absolutissimè, summo suo judicio, & à quo nulla datur apud superiorem provocatio. Neque illud tantùm debui, Philotime, secundùm bonam mentem, & secundùm bonam ipsam conscientiam, confugere ad auctoritatem Summi & Romani Pontificis, SANCTISSIMI PATRIS nostri, in judicio libri mei, & mei ipsius super libro meo. Imò illud etiam facturum receperam, libro illo de quo agebatur. Multoties enim in illo, verbisque conceptissimis edixeram; *Me, meaq; omnia obsequenti & cæca religione submissurum Magistris & Dominis meis, Doctoribus orthodoxis, penes quos jus esset summum inquirendi & statuendi de Theologicis.* Quales nempè Judices summos delegare solet Summus Pontifex Papa noster beatissimus. Imò & quales solus delegare potest.

Sed enim, Philotime, ex quo me submisi auctoritati Summi & Romani Pontificis, pro judicio libri mei: ex eo etiam me commendavi, & tradidi, in clientelam & fidem Ecclesiæ Catholicæ, cujus Summus & Romanus Pontifex, Papa noster beatissimus, Caput est. Ad quam scilicet Ecclesiam Catholicam continuò me converti, & cui illicò me dedi. Verissimumq; adeò est quod prædixi: librum illum meum causam fuisse conversionis meæ ad fidem Catholicam: & vicissim, conversionem meam ad fidem Catholicam, causam fuisse abjurationis quam feci libri ejusdem mei. Non enim potui fieri Liber meus conversionem meam fecit. Et conversio mea abjurationem meam fecit. Catholicus, quin ejurarem librum illum qui apertè repugnabat auctoritati & sensui Ecclesiæ Catholicæ.

Non defugio, Philotime, quin Præ-Adamitas meos plùs oculis meis quon-

dam amaverim. Sed scandalum tantò plus etiam semper odi. Et malui oculum eijcere, quàm scandalum inferre Ecclesiæ, erroremque in sinu fovere. Sat habui quod persuasi me non malo fine illos cogitavisse. Et re ipsa comprobavi (quod re ipsa feci) me illos bona fide censuræ Ecclesiæ Catholicæ submisisse. Cœtera quæ ad librum eundem pertinent, quæque super illo mihi evenerunt; perlege, Philotime, in deprecatione quam deposui ad pedes SANCTISSIMI PATRIS nostri, ubi Romam adveni. Quamque ut tibi, cœterisque amicis meis; notam facerem, ad calcem hujus Epistolæ edendam curavi.

Vale, & me amare perge.

DE-

DEPRECATIO
ISAACI PEYRERII,

AD

SANCTISSIMUM PATREM NOSTRUM,
Pontificem Optimum Maximum,

PAPAM
ALEXANDRUM VII.

Super Libro edito, cui titulus est,

PRÆ-ADAMITÆ, &c.

PATER SANCTISSIME.

RATIONEM redditurus de Libro edito, cui titulus est, *Præ-Adamitæ*, propter quem compellor ante pedes SANCTITATIS TUÆ. Primum hoc fateor. Me hujus Libri Auctorem esse. Quod non dico arroganter: sed gloriam daturus DEO, qui DEUS veritatis est. Et debita cum submissione, debita utique cum reverentia, totum me subjiciens judicio & decreto SANCTITATIS TUÆ; qualecunque de me, & de Libro meo futurum erit.

Confidentiam certè meam, PATER SANCTISSIME, non facit tenuitas

mea. Sed totam mihi præſtat benignitas TUA; quæ benignitatem DEI imitatur. Cujus ſcilicet Juſtitia adeò miſericors & benigna eſt; ut pœnam etiam infligendo, pœna juvet, recreetque peccatorem. TUA igitur benignitate fretus, PATER SANCTISSIME, oro TE ſuppliciter hanc veniam: ut quæ dicam de Libro illo de quo agitur, & de propoſito quod habui in illo ſcribendo; tam candidè ad aures SANCTITATIS TUÆ perveniant, quàm ſimpliciter, & quàm bono (ſaltem ut putabam) fine, à me cogitata, & ſcriptis mandata fuiſſe, ingenuè & ſine fuco, de hinc aperiam.

Duo dicam de Libro edito. Quæ me cauſæ ad illum ſcribendum impulerint. Tùm, quæ me ratio ad illum edendnm moverit.

Ad primum: quod eſt de cauſis, quæ me ad ſcribendum impulerunt. Illas ego, PATER SANCTISSIME, ita tractabo, ut non ſtabilire videar, quod abſit; ſed oſtendere, quæ illarum facies mihi apparuerint; mihique illuſerint.

Fateor itaque, PATER SANCTISSIME, coram SANCTITATE TUA, tanquam coram DEO, cujus imaginem SANCTITAS TUA gerit in Eccleſia DEI: me non latuiſſe hypotheſim quæ mihi venit in mentem, de primis hominibus ante Adamum conditis; diverſam penitùs abiiſſe ab opinione SS. Patrum, nec non aberraviſſe toto orthodoxorum Conciliorum canone: totamque doctrinæ Chriſtianæ fabricam de homine lapſo, & redempto; fundatam fuiſſe à Patribus, & Concilijs, ſuper hypotheſi de Adamo primo omnium hominum formato; à quo deinceps totum humanum genus per univerſas terrarum plagas effuſum & propagatum eſſet.

Sed reputet SANCTITAS TUA, pro ſua manſuetudine & æquitate: me tempore in illo quo talem hypotheſim cogitavi & concinnavi, de grege Calvini ſectatorum fuiſſe: Sectamque Calvini ſolam, cauſam præbuiſſe tali errori meo. Quamvis enim Secta illa talem errorem apertè non profiteatur: Illud tamen, PATER SANCTISSIME, palmarium eſt apud omnes Calvini ſectatores, parvipendere auctoritatem SS. Patrum, & Sacroſanctorum Conciliorum: ſi quid illis videatur apud Patres & Concilia, non convenire cum ſua vel ratione vel interiori ſpiritus ſui emotione; vel non congruere cum illo vero, quem ſibi fingunt, ſacrarum literarum intellectu.

At, qua ratione Calvinus detrectaverat auctoritatem Patrum & Conciliorum: Idem mihi licere de Calvino putabam, quod illum de Patribus & Concilijs sibi arrogavisse noveram. Neque hærendum Calvino ipsi existimabam, qua parte hæserat Patribus & Conciliis in vulgata hypothesi, de Adamo primo omnium hominum formato: si hypothesis de primis hominibus ante Adamum creatis, mihi videretur conveniens magis, & rectæ rationi, & genuino totius Scripturæ sacræ intellectui. Quidni enim, secundùm regulam juris æquissimam & vulgatissimam, eodem jure in Calvinum ipsum uterer, quod & ipse in Patres & Concilia statuisset?

Atqui hypothesis de primis hominibus ante Adamum conditis, mihi videbatur conveniens magis, & rectæ rationi, & genuino totius Scripturæ sacræ intellectui. Quod pluribus, PATER SANCTISSIME, toto meo Opere ostendere conatus sum: neque eadem refricare hoc loco refert. Ergo, qua ratione Calvinus Patres & Concilia neglexerat, in stabilienda secta sua: ita & negligendum Calvinum duxeram, in stabilienda mea hypothesi. Ex recta scilicet ratione, & genuino (qualis mihi tunc apparebat, incautè sanè erranti) sacrarum literarum intellectu.

Verum enimvero: quanquam mihi ipsi falsò persvaderem, hypothesim traditam à Patribus & Concilijs, de Adamo primo omnium hominum creato; vulgato magis consensu, quàm exquisita rei ipsius veritate fuisse creditam. Non tamen interea dubitavi unquam, PATER SANCTISSIME, quin verissimè & sanctissimè scripta & decreta fuissent, quæcunque super hypothesi illa, Patres Sanctissimi, & Sacrosancti Conciliorum canones scripsissent & decrevissent; de Fidei capitibus, & de mysterijs Christianis omnibus ad salutem nostram spectantibus.

Non dubitandum siquidem existimaveram, PATER SANCTISSIME, quin verissima & sanctissima doceri & decerni potuissent, super hypothesi falsa. Quod pateret exemplo in Astronomicis comprobatissimo, duarum hypotheseon, de motu cœli, & de motu terræ: quarum altera certissimè falsa esset. Ad utramq; tamen verissimè accommodaretur totus cœlorum ordo, & quæcunque de illo ordine demonstrarentur. Imò nihil apertiùs & vulgatiùs occurrebat in disciplinis omnibus demonstrabilibus, demonstrationũ omnium verissimas & certissimas, fundatas esse super hypothesibus falsis. Quin & falsis positis & creditis.

Nihil

Nihil ergo prohibebat (ut mihi videbatur) credidisse, capita fidei Christianæ omnia quæ ad salutem nostram spectarent; potuisse accommodari ad hypothesim, quam mihi persvadebam parum perspectam, de Adamo primo omnium hominum formato. Ex tradita, ut mihi verisimile tunc erat, Judæorum illorum opinione: qui sibi ipsis, & primis Patribus nostris Christianis persvasissent; more, aut potiùs vitio illo humano, quo se gentes omnes gentium aliarum omnium primas & antiquissimas semper professi sunt; gentem suam Judaicam gentium omnium fuisse vaginam. Atque adeò patrem suum Adamum (de quo certissimè constaret auctorem & patrem suum fuisse) fuisse itidem auctorem & patrem omnium hominum.

Non illud certè Copernicus sibi proposuerat; PATER SANCTISSIME, cùm celebre suum Systema Astronomicum super hypothesi de motu terræ instituerer: evertere divina inventa & observata omnium retro Astronomorum, quæque super illis excellentem in modum demonstraverat Ptolemeus. Noluerat, inquam, ille invertere per suam hypothesim, mirabilem illum qui apparebat rerum omnium cœlestium ordinem: confundere ortus & occasus syderum: interturbare cursus & recursus, phases, theorias, aspectus, & configurationes; tùm quas planetæ ipsi inter se componunt, tùm quas illi cum Stellis fixis occursibus suis repræsentant. Imò illa mens fuerat speculatissimo Astronomo, tenorem eundem rerum omnium cœlestium retinere: & quas de illis Ptolemeus demonstrationes, secundùm veterem hypothesim de motu cœlesti, edisset; commodiores tantùm, breviores & clariores, secundùm novam suam de motu terræ positionem, falsam licet, animis & sensibus Astronomorum omnium exhibere.

Neque illa mens mihi fuit unquam, PATER SANCTISSIME, (absit enim ut talem unquam, & nefandam adeò concipiam) abnegare Scripturas sacras, neque illarum sensum contorquere, neque fidei Christianæ capita ulla quæ ex Scripturis sacris eliciuntur, convellere; nec quæ de illis ad salutem nostram pertinentibus, sanctissimè scripserunt SS. Patres, & orthodoxi Conciliorum canones decreverunt, vel in minimis concutere. Quin è contra, illa eadem solidiùs multò & firmiùs, ut clariùs & expeditiùs, demonstrari posse malè putaveram, ex nova hypothesi de hominibus ante Adamum conditis; quàm explicata fuissent de Adamo primo omnium hominum formato.

Hoc igitur per inconsultum errorem apud me reputabam, PATER SANCTISSIME, hypothesim hanc nihil omninò officere potuisse Religioni Christianæ. Imò ex adverso multum conducere ad elucidationem Scripturæ sacræ, & mysteriorum fidei Evangelicæ. Concordare etiam miris modis cum historijs omnibus Gentium retroantiquissimarum. Tùm verò cum opinione illa, quam tamen falsam reputo, de æternitate mundi; si non absoluta, saltem de indeterminato principio, quo Philosophi antiqui asseverabant mundum fuisse conditum. Et, quòd non parvi momenti mihi videbatur; tolli apparebat ex hac eadem hypothesi, controversiam omnem de origine gentium illarum; quas vel Patres nostri superioribus paulò seculis penetraverunt; vel quas detectas tantùm & delibatas, neque dum etiam penetravimus, neque adeò novimus, quales, & quantæ sint, & à quibus oriundæ.

Quia verò talia quamplurima animo meo diu obversata aliquam veritatis speciem præ se ferebant. Fateor, PATER SANCTISSIME, me illis omnibus fuisse adductum; ut quas de nova hac hypothesi, varias, multiformes, & confusas imagines conceperam, scriptis mandarem, tentaremque redigere illas ad formam congrui & dilucidi Systematis. Qualis, PATER SANCTISSIME, hæc est prima pars de qua agitur, typis exarata, & in lucem edita. Cujus scilicet editionis causa jam mihi reddenda est. Et explananda ratio, quæ me ad evulgandam partem imperfecti Operis impulerit.

Ac primùm, PATER SANCTISSIME, me non spontè, sed quodammodò invitum, Partem illam primam publici juris fecisse; illud ipsum indicio maximo poterit esse, quod Opus imperfectum erat. Atque ut rem, qualis est, apertiùs dicam. Absolveram Partem illam primam, quo tempore Serenissimus Princeps CONDÆUS, Dominus meus, discessit è Gallijs, & in Belgium cum exercitu suo movit. Officij & obsequij mei erat, sequi tantum Principem Dominum meum. Omni igitur deposita Operis mei cogitatione & cura, discedens eodem tempore Lutetia, commendaveram amico meo compactum de hac nova hypothesi codicem manu mea scriptum. Obtestatusque eram illius fidem, nemini copiam faceret scripti mei: redderetque, si quando in Galliam rediens, ultimam toti Operi manum imponere liceret.

Excesserant ferè animo & memoria mea, quæcunque olim scripseram de

illa hypotheſi, & quæcunque de ipſo etiam totius Operis propoſito ſcribenda inſtitueram. Cùm ecce, neſcio quo fato; me verò, imperij lege, coacto magis, quàm obſequente; codex meus Lutetia Bruxellas ad me delatus eſt.

Vocabar tunc temporis in Hollandiam, propter res meas privatas. Et impetrata venia à Sereniſſimo Principe Domino meo, Amſtelodamum veneram. Incideramque in turbam Typographorum, qui plurimi ſunt in illa urbe: quique me certatim omnes ſollicitabant darem illis codicem *Præ-Adamitarum* meorum: quia noverant me illum attuliſſe. Nusquam enim, ex quo illum acceperam, omittebam.

Quid facerem? Cavendum mihi videbatur diligenter unico illi, quod mihi erat, exemplari. Quodque (ut ingenuè fatear PATER SANCTISSIME, quæq; mea cæcitas fuit) unicè diligebam; tùm propter novitatem cogitati, tùm quia cogitatum meum erat: atque ut ait ille, *quia nævos noſtros & cicatrices amamus*. At neq; ſemper & ubiq; portare poteram codicem illum meum: quò me præcipuè juſſa Sereniſſimi Principis Domini mei trahebant, & retrahebant. Timebam ſcilicet oneri meo: neminemque habebam, vel in Belgio, vel in Hollandia, cui pignus hoc confidenter crederem. Utendum ergo mihi erat commoditate Typographorum Amſtelodamenſium: nec non libertate imprimendi, quæ mihi tum Calviniſtæ laxior erat, quam licuiſſet Catholico. Conſultumq; hac ratione putabam timori meo, & ſecuritati fœtus mei, ſi quod unicum illius habebam exemplar, Typographo darem; qui pro uno centum redderet, & quamplurima alia exempla propagaret.

Hoc verò confidentiùs præſtiturum me poſſe exiſtimabam. PATER SANCTISSIME, quod toto Opere meo obteſtabar, me nihil aſſeveranter ſtatuere de hypotheſi mea: Sed eam exercitationis gratia exhibere, omnibus impugnandam, & cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjiciendam: cujus auctoritati, me, meaque omnia, obſequenti & cœca religione devovebam. Librum quinetiam illum meum nomine meo non inſcribebam; ut laterem poſt tabulam, & exciperem quale foret de illa omnium judicium. Non enim dubitabam, quamplurimos in talem hypotheſim acritèr inſurrecturos. Sed non mihi venerat in mentem, PATER SANCTISSIME, gentem ullam reperiri usquam poſſe, quæ in caput meum propter librum illum conjuraret. Vel enim, ajebam, ignotus ero quia nomen

meum

meum tacui. Vel si notus ero, & novitas propositi mei Christianum quemquam offenderit; admonebit me Christianus frater meus, more humano, & Christiano. Præsertim certè nihil asseverantem, exercitationis causa scribentem, auctoritati Ecclesiæ me subjicientem, & doceri velle clara & aperta voce profitentem. Hoc etiam inprimis caveram, PATER SANCTISSIME, ut Typographus meus se mihi fide religiosissima obstringeret, nullum exemplum libri illius missurum in Belgium. Ne scilicet Princeps Dominus meus, in cujus fide eram apud Belgas, conquerentem Belgam audire posset, vel de religione quam profitebar, vel de opinione nova, quam in Belgium disseminare voluissem.

Redieram ex Hollandia in Belgium ad Serenissimum Principem Dominum meum, qui me Namurcum remisit. Ubi per sex menses continuos secesseram; cùm mihi nihil tale cogitanti relatum est, emanasse à Domino Episcopo Namurcensi, censuram in librum meum; per totas civitatis Ecclesias vibratam; festo celeberrimo, Natalium Domini, anni 1655. & frequentissimo totius populi concursu. Non indicato publicè nomine meo, quia liber erat anonymus: sed emissis, qui me nominarent, infamarentque censura illa Calvinistam & Judæum notari.

Invocavi illicò Serenissimi Principis Domini mei fidem in qua eram, & sine qua non venissem in Belgium. Contestatusque sum Serenitatem suam, ne vim mihi inferri pateretur. Scandalum siquidèm ex hoc libro ortum non ex me emanavisse. Quippè quia nemini librum illum dederam in toto Belgio, & nemini utiquè apud Belgas de illo mentionem feceram.

Mittere me decreverat Serenissimus Princeps Dominus meus, ad præsidium quod habet, nomine Linchamp, Eburonibus & Treveris conterminum. Bruxellasque veneram, ut mandata Serenitatis suæ exciperem. Expectabamque literas ad Præfectum præsidio, quò iturus eram, quæ mihi de die in diem procrastinabantur. Cùm ecce, inauspicata die mensis Februarij, anni 16[illegible]6. irrumpunt in cubiculum meum, agmine, & impetu facto, triginta homines armati; & extractum cubiculo, & domo, rapiunt per plateas: & per longos civitatis anfractus, sublimem raptum intrudunt in carcerem.

Ubi primùm à tam impraeviso ausu, lux reddita menti est, & hiscere mihi

 licuit:

licuit: petij cujus decreto raptus fuissem in carcerem. Respondit mihi administrorum dux, decreto D. Vicarij generalis Archiepiscopi Mechliniensis. Neque multo pòst tempore intravit in carcerem D. ipse Vicarius, duobus alijs, & Scriba suo comitatus. Meque interrogare cœpit, quis, & qualis, & cujas essem. Ego verò illata & recenti, illaque acerba (ut tunc accipiebam) injuria, violentèr perculsus: inverso Judiciorum ordine, in Judicem quem tempore in illo non agnoscebam meum, invectus sum. Illumque è contra incusare cœpi, quod oblitus juris omnis Christianii & humani, tam inclementèr in me sæviisset: contra fidem in qua eram tanti Principis Domini mei: contra fidem publicam fœderis, quod Serenissimus Princeps Dominus meus inierat cum Rege Catholico: & contra jus omne gentium. Quod scilicet tam vehementer cum illo expostulavi; & quo solent exulceratæ mentes verborum effluvio dolores suos exonerare; ut D. Vicarius, amoveri me indè jusserit. Vixque discesseram, è conspectu ejus, cùm & ipse cum suis è carcere excessit: Judicium suum deserens, & indicta causa quare me in carcerem mitti decrevisset.

Neq; illum, PATER SANCTISSIME, post illa vidi. Nam cùm me Serenissimus Princeps Dominus meus, repeteret tanquam suum, & in cujus fide, & jurisdictione essem: fatebatur justum illud esse Serenissimus Princeps Archidux Leopoldus, qui tum præerat Belgio. Sed carceris mei conscius, negabat me liberare posse non consentiente Judice Ecclesiastico: In quem nulla illi esset potestas in Belgio, nisi precaria; neque adeò Regi ipsi Catholico.

Quia verò non tam facilè erat D. Vicario expedire se à flagitatione, qua me Serenissimus Princeps Dominus meus repetebat: nescio quo casu accidit, ut ipse morbo correptus fuerit, quo deindè ingravescente, intra paucos dies mortuus est.

Venerunt post mortem D. Vicarij, literæ à SANCTITATE TUA, quibus significabat se valdè commoveri in ijs quæ de me, tanquàm nefando hæretico, scripta fuissent. Hoc verò malè habebat Serenissimum Principem Dominum meum, in cujus manum victoria & fide præstantem me tradideram. Sed qui parte alia, quæ tanta est tanto Principi erga Sedem Apostolicam veneratio & erga SANCTITATEM TUAM religio; nihil committere volebat, quod SANCTITATEM TUAM offenderet. Atq; ut levarem animum ejus anxium omni de me sollicitudine, ac divinæ gratiæ radio mihi affulgente; saluti meæ consulerem. Oravi supplicitèr, & enixè, Serenissimum Dominum meum, ut veniam

impetraret

impetraret à SANCTITATE TUA, qua mihi liceret advolvi ad pedes ejus, Meque, & librum meum, ac omnia mea eidem subijcere.

Habeo gratiam, illamque maximam, Maximo Principi, & Domino meo optimo, qui talem pro me veniam à SANCTITATE TUA impetravit: tùm pro nativa illa, quæ TIBI inest, PATER SANCTISSIME, humanitate ingenij: tùm verò maximè, pro Christiana illa qua incenderis erga omnes animi charitate. Adsum ergo, PATER SANCTISSIME, & advolvor ad pedes SANCTITATIS TUÆ. Et quod bonorum omnium summum mihi est: DEUM in TE PATER SANCTISSIME, videre mihi videor.

Atque ut intelligat SANCTITAS TUA, quàm longè absim ab illa mente qua me fuisse nonnulli fortè putaverunt; Sectam novam introducendi. En ego ipse, PATER SANCTISSIME, qui cum primo lacte Sectam Calvini suxeram, quam Galli Reformatam vocant; ejuravi protinus illam ipsam ad pedes SANCTITATIS TUÆ, & me addixi Ecclesiæ Catholicæ, cujus TU PATER SANCTISSIME, Caput es. Nimirùm, ut Te summum Pontificem agnoscerem; & Te Judicem summum mihi ipsi statuerem. Cui scilicet per me ipsum de me liceret, quicquid de me decernere SANCTITATI TUÆ libitum esset.

Toto cœlo distat, PATER SANCTISSIME, opinione sua novam Sectã introducere velle: Et opinionem suam auctoritati Ecclesiæ submittere. Illud, novatoris hæretici est: Hoc, Christiani obsequio Fidei hærentis, & affixi. Si quid autem excusationis error meus habere posset, illud fortè accerserem ab ijs verbis, quæ in procemio mei *Systematis* scripsi, quæ sunt hujusmodi.

Si quis causa cognita me errare demonstraverit. Hoc est: me in aliquo vel minimo adversari historiæ Genesos, vel quibuslibet locis aliis Scripturæ sacræ, & orthodoxæ: vel diversum abire quantum latus unguis est, à quolibet capite fidei Christianæ. Primùm habebo illi gratiam maximam quod me docuerit. Deinde verò, nomen meum non pudebit apponere: Imò gloriosissimè mihi versurum putabo, si illud totum & quadratis literis impleverо, in ejurando tali errore meo. Quem abominor, si quis talis meus est. Quamvis enim mihi ipsi sim amicissimus, magis tamen mihi est amica veritas. Quod unicè profiteor.

Nevè dicar per hæc verba effugium mihi paravisse, quale dicuntur sibi quærere Hæretici omnes, quibus solenne est eadem protestari; se retractaturos hæreses suas, si illis demonstrentur hæreses esse. Quia nempè convinci obstinatè nolunt. Hæc etiam scripsi capite 8. Exercitationis meæ.

Silicet per dominos, & magistros meos Doctores orthodoxos, penes quos jus est summum inquirendi, & statuendi de Theologicis. Et quorum Iudicio, me, meaque omnia, obsequenti, & cæca religione devoveo. Experiar, num facilior accommodetur his versibus explicatio, si dicimus. &c.

In quibus, Pater Sanctissime, omne mihi præclusi effugium. Cedere enim paratus sum, vel demonstrationi, vel auctoritati. Et si demonstratio parum firma mihi videbitur, auctoritas sola Ecclesiæ efficiet totum meum obsequium, illudque cæcum, in illis omnibus quæ Judices summi ad hoc delegati, statuent, & decernent de meis opinionibus, aut erroribus. Judices autem summos illos intelligo, Pater Sanctissime, quos Summus, & Romanus Pontifex delegaret; penes quem solum potestatem fuisse tales deleagndi ex animo credo. Quis enim alius ex omnibus Sectis Christianis, præter Romanum Pontificem, tale quid sibi arrogare præsumpserit? Patiatur ultimò Sanctitas Tua, Pater Sanctissime, ut hîc etiam addam, & apponam, quæ scripsi in fine capitis ultimi Exercitationis. Talia sunt;

Lectorem meum benevolum oratum volo, ut quæcunque scripsi, scripta putet exercitationis causa, & gratia. Nihil enim ausim asserere de his, quæ parum convenire videntur cum recepta opinione totius Ecclesiæ. Cujus præceptis totum me sine fraude, & devotissimè addico.

En ego, Pater Sanctissime, ille ipse, qui me totum sine fraude, & devotissimè addico Ecclesiæ Catholicæ, & Sanctitati Tuæ. Statuat quicquid voluerit de me, & de meo libro Sanctitas Tua. Voluntas ejus pro ratione, & pro lege mihi erit. Unum hoc Sanctitatem Tuam oro, Pater Sanctissime, ut talem de me opinionem pro charitate sua concipiat, me scripsisse simpliciter & fine bono (ut mihi tunc visum est) quæcunque de tali hypothesi scripsi. Et præter expectationem meam evenisse, quodcumque de scripto meo scandalum natum est. Posui quæstionem illam problematicam; quæque in utramque

partem

partem posset disputari. Ac proindè quæ de illa scripsi, exercitationis tantùm causa scripsisse toto meo Opere protestatus sum. Non ergo tanti illam feci, quin pluris faciam scandalum quod ex illa ortum est.

Atque ut manifestè appareat SANCTITATI TUÆ, me ex animo, & toto pectore sincere quæ loquor. Fateor ingenuè, PATER SANCTISSIME, me in illa hypothesi exponenda, delusum fuisse imagine ipsa veritatis, qua alliciebar; & qua alios allici posse existimaveram, quia innocentem putaveram: Sed à qua deinceps abstinendum omninò esse, mihi ipse auctor sum: quia omninò contrariam experior proposito ipsi meo. Non enim constitueram propositum meum propter illam hypothesim; sed viceversa, hypothesim induxeram propter propositum meum, & tanquam proposito meo conducibilem. Quod ut clariùs intelligat SANCTITAS TUA, absolvam quod superest deprecationis hujus meæ: & aperiam deinceps, quale fuerit Propositum principale totius mei Operis.

NIHIL certiùs est, PATER SANCTISSIME, Christianos omnes Gentiles Salutem suam debere Judæis, Christo scilicet ex Judæis orto. Quod docemur ore ipso Domini dicentis Samaritanæ: *A Judæis Salus est.* Quin & illud ipsum, quod dicebat DEUS FILIUS mulieri gentili; DEUS PATER edixerat longè antea Patribus Judæorum. *Benedicendas in semine eorum, omnes gentes, omnes tribus, omnes nationes, & omnes terrarum omnium familias.* Imò illam fuisse Judæorum prærogativam dixit Apost. ep. ad Rom. c. 2. & 9. *Quòd illis credita essent DEI eloquia; Quorum esset adoptio, & testamentum & legislatio, & obsequium, & promissa. Quorum Patres. Et ex quibus Christus esset secundùm carnem, qui est super omnia DEUS benedictus in secula. Amen.* Undè appareret Gentiles omnes qui sunt natura alieni à gente, à tribu, à natione, & à familia Judæorum: vel benedictos, vel benedicendos esse, in semine Judæorum, qui Christus est; Dominus omnium Judæorum & Gentilium. Per quem scilicet Gentiles adoptati sunt in populum DEI, & per quem insiti sunt in Judæorum stipite: ut fiant participes benedictionis, & salutis, quæ in familia & stipite Judæorum fuit.

Abdicatos sed enim fuisse Iudæos sua familia, nec non defractos sua arbore, tùm propter peccata sua, tùm propter peccata patrum suorum; testes sunt utriusque

utriusque fœderis Sacræ Paginæ: & res ipsa à morte Christi (summo illorum flagitio) comprobavit. Illud autem mysterio factum fuisse nos docuit Apostolus capite 11. ad Romanos. *Vt per Iudæorum delictum, & perditionem, Salus esset Gentibus. Et cæcutatem obvenisse ex parte Iudæis, donec plenitudo Gentium intraret.* Quibus significaretur, Judæos rejectos fuisse, ut Gentiles in eorum locum sufficerentur. Atque olim restituendos sub finem sæculi, cùm plenitudo Gentium intraverit. Ad tempus igitur derelictos fuisse Judæos, neque propterea omninò repulsos.

Restaurationem verò Judæorum futuram expressit S. Paulus verbis conceptissimis, ubi ait cap. eod. 11. *Et sic totus Israel salvabitur, sicut scriptum est. Veniet Redemptor ex Sion, qui eripiat, & avertat iniquitatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum; cùm abstulero peccata eorum.* Deus ergo auferet peccata Judæorum. Atque inprimis auferet incredulitatem eorum. Cor illis lapideum carneo mutabit. Aperietque oculos, ut videant, & credant in eum quem transfixerunt.

Quod ut faciant Judæi, id est, ut credant in eum quem transfixerunt; ex officio Christianorum esse Judæos adhortari, nemo est qui inficias ierit. Quin & ministerio Christianorum confieri debere illud, nos docuit Apostolus loco eodem. *Non enim, inquit, sic offenderunt Iudæi ut caderent. Sed illorum delicto Salus est Gentibus, ut Gentes Iudæos æmulentur.* Ad æmulationem verò provocandos Judæos prædixerat Deus olim, Deuter. 32. his verbis: *Ad æmulationem provocabo vos per Gentem, quæ non est Gens*; id est per Christianos Gentiles, qui non reputabantur in Gente Dei, antequam fierent Christiani.

Æmulationem rursus illam habere Judæos, *Sed non secundùm scientiam*, testatur Apostolus cap. 10. ad Romanos. Idem capite sequenti, ad illam scientiæ æmulationem provocare Judæos nititur, ubi ait: *Si quomodo ad æmulationem provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.* Christianorum ergo maximè interesse quis dubitaverit, provocare Judæos ad æmulationem scientiæ Christianæ? tùm ex mandato DEI: tùm ex Apostoli præcepto, & exemplo; tùm & ne sibi invidiam comparent ingratitudinis; si æmulationem salutis suæ denegent Judæis, quibus & ipsi salutis suæ auctorem debeant; quippe pro illis, ut loquitur Apostolus, ex parte perierunt.

Ad hoc verò Christianos invitat Apostolus idem, cap. II. ad Romanos, argumento potentissimo, & petito ab utilitate Christianorum ipsorum, uberrima. *Nam si, inquit, delictum Iudæorum divitiæ sunt Mundi : & diminutio eorum, divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Et paulò inferiùs. *Si* (ait ille) *amissio Iudæorum, reconciliatio est Mundi; quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis?* Atqui plenitudo, & assumptio Judæorum, quæ futura erit quædam resurrectio Mundi; nec non effusissimus divitiarum, & benedictionum divinarum super Christianos, & Mundum ipsum totum, cumulus: conversio Judæorum futura est. Conversio verò Judæorum, divina gratia aspirante maximè ac potissimùm; pendet ab æmulatione, ad quam Christiani provocare debent Judæos. Ergo divitiæ Christianorum, divitiæ & resurrectio ipsa Mundi, à Christianis ipsis pendet: quatenus provocare debent Judæos ad suam salutem.

Hæc omnia seriò apud me perpendens; non impossibilem fore provocationem illam, neque vanum, & inutile tentamentum ejus, mihi persuaseram, Pater Sanctissime. Quamvis enim Judæos videamus pertinaci, atque omninò (ut apparet) desperato pro sua conversione animo. Posse tamen induci ut convertantur, eo ipso non dubitavi; quia futurum est pro certo, ut aliquando convertantur.

Modos autem quibus induci posse Judæos ad suam conversionem existimaveram, longum esset, Pater Sanctissime, neq; profuturum hoc loco, & tempore enarrare. Imò rem ipsam timerem confundere, & obscurare; si illam breviter exponere instituerem. Illorum certè modorum rationes, in animo erat ponere ordine, & unamquamque sigillatim opere meo expendere. Nempe illis adduci posse Christianos putaveram, ad provocandos Judæos: Judæosq; vicissim persuaderi, ad suscipiendam salutem suam à Christianis.

Quod cùm meum esset, & principale totius Operis mei propositum. Fateor, Pater Sanctissime, me infeliciter auspicatum illud esse ab hypothesi, quæ neque à Christianis, neque adeò à Judæis ipsis suscepta est, nec suscipi debuit. Imò quam ab utrisque ejectam, & eliminatam, hinc, & indè intelligo. Malus autem conciliator audirem, si quos conciliare vellem, in me ipsum concitarem. Reijcienda ergo, & eliminanda omninò mihi ipsi est hypothesis hæc; tùm propter ipsam, quatenus hæretica undique conclamata,

clamata, & judicata est: tùm quia proposito ipsi meo repugnat, & adversatur.

Non me latet PATER SANCTISSIME, à Domino deberefieri illud. Et conjunctionem propheticam duorum lignorum, Judaici & Christiani, opus DEI purum putum futurum esse. Sed nihil officit Divinæ gloriæ credere, DEUM in tali & tanto opere, usurum etiam esse Christianorum & Judæorum ipsorum opera. DEUS enim salvos facere homines consuevit, per homines ipsos. Utetur ergo Christianis, qui provocent Judæos ad æmulationem salutis suæ. Uteturque Judæis ipsis, qui provocationi Christianorum faciles aures præbeant.

Placitum quinetiam aliquorum haud improbabile est; nos propè illa tempora esse, quibus conjunctio illa Christianorum & Judæorum fieri debet. Et si quid in re tam arcana liceat ex conjecturis: notarem aliqua signa, quibus ea qua decet reverentia, augurer; DEUM facturum esse tam grande opus, dignissimo & auspicatissimo SANCTITATIS TUÆ ministerio; TEque, PATER SANCTISSIME, DEUM reservavisse Pastorem his seculis, qui utrumque Gregem colligeres, Judaicum, & Gentilem; & ex duobus unum faceres.

SANCTITATEM certè TUAM indubiè superaturam expectationes omnes, quas de Pontificatu suo concitavit, hinc potissimùm conijcere est, PATER SANCTISSIME: Quòd adjunxeris Nobilitatem generis illustrissimam, cum omnibus illis excellentissimis virtutibus, quæ requiruntur in summo Pontifice, & vigilantissimo Dominici Gregis Pastore.

Nihil enim TE fugit, PATER SANCTISSIME, de his, quæ divinarum & humanarum rerum notitiam sapiunt. Experientiam habes in politicis, illisque maximis, exercitatissimam. Remedia TIBI sunt ad utramque fortunam, comprobata virtute, & exploratissima vitæ sanctimonia, præsentissima. Summam fidem præstas, summamque in omnibus animi moderationem. Et quòd Spiritus Christi rarissimum, & consummatissimum donum est: suavissimam obtines humanitatem, cum summa charitate conjunctam. Accedit his maximis divinum hoc; quod non sine Numine, tantus ardor conciliandæ pacis inter Principes Christianos SANCTITATI TUÆ additus est. Et qui Summus Pontifex pacem flagranti bellis Europæ conciliaveris; dabis illam opportunè Ecclesiæ ipsi Christianæ.

Non

Non novi auguria nominum; neq; injectas de talibus religiones superstitiosè curare soleo, PATER SANCTISSIME. Sed non temerè accidisse arbitror, quod SANCTITAS TUA nomen ALEXANDRI præsaga mente sortita est. Nempe ille fuit Regnatorum maximus, qui plurimas terrarum plagas sub ditionem suam misit: & totum sibi Orbem subjicere meditabatur. TUA verò SANCTITAS, PATER SANCTISSIME non desistet quin perficiat, quod Alexander voluerat & tentaverat. Orbemq; terrarum totum, sed volentem, gladio illo ex utraq; parte acuto, qui ex ore DEI exit, sub leges Ecclesiæ Catholicæ mittet: quem Alexander repugnantem, mortali suo mucrone, ex parte debellaverat, & ex parte terruerat.

Tum, si qua divinatio in numeris est. Non illud casu fortuito contigisse dixerim, PATER SANCTISSIME; quòd ALEXANDRORUM VII. in catalogo Pontificum numeraris. Septenarius enim, numerus est Sabbathi & quietis Dominicæ. Præsagitq; Pontificatum SANCTITATIS TUÆ Sabbatismum fore Domini, & Sabbatismū fore Ecclesiæ Catholicæ, quæ est Ecclesia Domini.

Nimirum hæc illa est requies, & hæc illa est PAX, quam Sanctitas Tua tanto cum zelo, & tanta cum charitate, conciliare cupit toti Orbi Christiano. Sic cupere non desinat, & sic Deus ille Deorum faciat quod cupit Sanctitas Tua, Pater Sanctissime. Pax illa toto Orbe Christiano erit. Et Tua Sanctitas totum Orbem faciet Christianum, ut totus Orbis Tua Pace gaudeat.

Totus Orbis Pater Sanctissime, advolvetur ad Pedes Tuos. Et de Tuis Pedibus, qui Romanis insistunt & præsunt montibus, jam nunc usurpabitur quod prophetavit Isaias cap. 52. *Quàm pulchri super montes Pedes annuntiantis & prædicantis Pacem: annunciantis bonum: prædicantis salutem. Dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.* Diceturq; eodem Spiritu quod ibidem scriptum est. *Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolabitur Dominus Populum suum, & redimet Ierusalem.* Nullum scilicet futurum erit plenum Sabbathum, & nulla futura erit plena Pax Christianis, & toti Ecclesiæ Christianæ, quæ vera est Catholica; nisi in Sabbatho & in pace Judæorum, quæ erit consolatio & redemptio Judæorum.

Quam tu verò cernes, Pater Sanctissime, Ecclesiam Catholicam, & quæ

Tua regna surgere, in conjunctione & fœdere Christianorum & Judæorum? Pulchrum & memorabile facinus! Quodq; præteritorum ferè omnium, illorumq; celeberrimorum, memoriam delebit. Sed quod si audeat, conficiet (ne dubita) Sanctitas Tua, Deus enim cum illa, & à dextris ejus erit.

Quis verò Christianus adeò juratus hostis erit pacis Ecclesiasticæ & Christianæ; qui Sanctitati tuæ ad tam excelsum & tam religiosum opus intentæ, operam suam qualemcunq; poterit, denegare duraverit? Quis enim morosus adeo Sectator novarum partium, bilem omnem schismaticam non ejurabit: Et quis non charitatem omnem Christianam induet, ut in partem veniat tantæ gloriæ, quæ in æmulandis Judæis futura erit?

Nullus certè dubito, Pater Sanctissime, quin omnes Christiani, cujuscunq; Sectæ fuerint; ubi primùm Sanctitas Tua vexillum suum extulerit, & Coronam pro tam sancta expeditione Puppi Suæ imposuerit: certatim omnes ad illam confluant, omnesq; in illa una faciant pedem; ut ad vellus verè aureum salutis tam eximiæ, feliciter properent & adnavigent. Quam scilicet Deus salutem verè auream, in salute Judæorum, Christianis omnibus, & toti Mundo promisit. Facietq; certissimè, prolixius etiam multò quàm promisit.

Hæc sunt Pater Sanctissime, quæ habebam dicenda, super Operis mei Parte edita, & totius proposito. Partem illam editam, quæ Præ-Adamitarum hypothesim continet, ejurare paratus sum: Quà dissentit à Patribus Sanctis, & à Sacrosanctis Ecclesiæ Catholicæ decretis. Concipe ejurationis verba, Pater Sanctissime, & jurabo in illa. Abominor enim, detestor, & exeror, quodcunq; rejicit Sacrosancta Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana. Cujus præceptis totum me dedo; ac sum paratus uri pro illa, vinciri, ferroq; necari. Uno verbo, ne prolixior sim: Invenies Pater Sanctissime, ubiq; me religiosum Sanctitatis Tuæ veneratorem. Mandatorum verò observatorem, ubique etiam devotissimum & fidelissimum.

ISAACUS PEYRERIUS.

F I N I S.

1. Pax Pax polono-svecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 Pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. 24 Parad. 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652